

Bibliothèque numérique

medic@

Tallendier de la Bussiere, Jean-Pierre
- candidat / Lassus, Pierre - président.
- De naso fracto

1765.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2343, n°10

DE NASO FRACTO. THESES ANATOMICO - CHIRURGICÆ,

Quas, DEO JUVANTE, & Præsidi M. PETRO^{+Theses}
LASSUS, Artium & Chirurgiæ Magistro, tueri^{aucto}
conabitur, JOANNES-PETRUS TALLENDIER DE LA
BUSSIERE, Parisinus, artium liberalium in almâ Uni-
versitate Parisiensi Magister. Nuper Nosocomii Generalis
Parisiensis in domo dicta BICESTRE Chirurgus alumnus.
~~Theses auctor.~~

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

Die quinta mensis Octobris à sesqui-secundâ post meridiem ad septimanam.
Anno R. S. H. 1765.


PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREÆ



Typis P. A. L. L E P R I E U R, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXV.

K





D. O. M.
T H E S E S
 ANATOMICO-CHIRURGICÆ.
 DE NASO FRACTO.

I.



TOTUS homo in Capite vultuque est; organa enim quibus sensus instructi sunt ad judicandum de qualitatibus rerum externarum, ibidem erga Regiam Capitis collocantur. In mediâ regione nares natura constituit & protrahit, quarum bifori viâ aër odoresque commeant: & quoniam cibi & potûs judicium magnum earum est, non sine causâ viciniratem oris secutæ sunt. Cum verò de fracturâ Nasi, illiusque structurâ differere nobis animus sit, separatim dicemus de singulis, à naturali dispositione hujusce partis facientes exordium.

A

I I.

N A S U S ita locatus est ut quasi murus oculis interjectus esse videatur. In partes molles & duras dividitur. Pars illius media superior dura & solida, duobus coalescit ossiculis quæ *Nasalia* dicta, penè parallelogramma, deorsum divaricata, convexa ad faciem, per levem lineam intus asperiores sibi adplicata, foraminibus non nullis pertusa, sine suo latiori lacera sunt. Latera fulciuntur & ipsa processu nasali quem os maxillare sursum emittit crassiores, curvatum, intus ferè planum, extus sinu leni excavatum. Et ossa Nasi & maxillaris processus asperissimo & serrato ambitu in osse frontis includuntur & illigantur.

I I I.

P A R S Nasi inferior mollis & elastica in cartilaginem versa, nasum perficit. Quæ quidem in universum speciem habet trianguli cujus hypothenusa processui Nasali continuatur, basis antrorsum prostat, latus medium ad septum adplicatur, vertex demum truncatus est. Sed ea cartilago in homine minimè simplex est. Quinque enim vulgò numerantur quarum superiores ferè quadratæ, triangulares, alterius-ve figuræ, foveâ separatæ, septo narium connectuntur. Inferiores verò gnomonem referunt. Denique septum cartilagineum à mucrone ossium Nasi antrorsum descendit, cartilaginibus inferioribus adnatum, nares dividit. Cuique horum ossium periosteum est : cartilaginibus verò perichondrion.

I V.

N A R E S intus investiuntur membranâ pulposâ, satis crassâ, molli, myriadibus vasculorum arteriosorum ornatâ, corpusculis glandulosis instructâ. Hæc membrana pituitaria dicta, suam habet ibi superjectam epidermidem, suam cellulofam telam quâ cum periosteis cohæret : in vivo animali & in cadavere, perpetuò uda reperitur, & etiam post mortem acu compuncta guttulam stillat.

V.

MUSCULI vulgo sex numerantur, nempe *Pyramidales, laterales, & myrtiformes*. Arteriæ à carotidibus externis, venæ à

jugularibus oriuntur. Nervi à primo & à quinto nervorum pari prodeuntes , per totam Nasi fabricam furculos edunt multiplices.

HÆC sunt quæ de structura Nasi in medium proferre non dubitavimus , cæteris omissis quæ ad odoratum & modificationem vocis , vultûsque gratiam & ornamentum conferunt , ut-potè proposito nostro minimè vel parum congruis , nunc unicè solliciti ut quam nobis definiendam suscepimus alteram partem operis , accuratè perficiamus.

VI.

PER PAUCI de fractura ossium Nasi verba fecerunt : at tamen sæpè sæpius inde contingere videmus mille morbos , eosque cedere pertinaces. Hujusce luctuosæ veritatis testimonium mutuamur ab ipsis qui in publicis pauperum domibus medicinam tractant : quod quidem ibi ipse egomet sæpè eù animadverti ! Si enim graviores ictus ab homine robustiori , sive manu recollectâ , sive baculo inferuntur : si grandiori mole aliquod corpus magnâ vi immissum in superficiem anteriorem Nasi , ad perpendiculum ex alto decedit , si quis in terram inopinato casu labitur , tunc vel in parte superiori , vel quod multo frequentius est , in inferiori hæc ossa frangi , aut nares inhonesto vulnere deturpari , compertum est.

VII.

JAM verò fractura potest esse simplex vel composita , cum vulnere aut sine vulnere , ambo ossa aut alterutrum lædi possunt , & quidem modò adversa , modò à latere. Si adversa fracta sunt , nares desidunt , difficulter spiritus trahitur. Si à latere os fractum est , is locus cavus est. Denique substantia aliquantulum comminuta fuit , aut integra remansit : aut cartilagine franguntur , tuncque in alteram partem nares declinantur.

VIII.

FRACTURAM adesse facillimè resciveris dum recens facta est , nec ulla extitit inflatio. Si verò alterutrum os duntaxat vulneratum fuit , illud intellexeris statim atque in partem læsam elevatorium seu specillum lintheis involutum induxe-

ris, digitoque demisso, identidem levissimè ad latera: tum facile fracturam noveris sive tactu, sive tumore, nec-non depressione ossis. Non magnopere timendum est de fractura simplici, quinimò eam accidisse multo tutius existimo quam si quis gravi casu, aut ictu periculosiori fuerit afflictus, unde non rarò vehementiori cerebri comotione, aut interdum vomitis aut abcessibus membranam pituitosam inter & Nasi ossa efformatis, aut effusionibus intra cerebri lobos anteriores aut nonnunquàm intra duræ meningis partem quâ os coronale & cribrosum obteguntur, vulnerati pereunt.

IX.

QUIDQUID igitur fractum fuit, in locum restitui postulat: nec aliud peragendum censeo, nisi urgentiori malo æger circumveniat. Quæ quidem restitutio ut ritè obtineatur, æger in adverso sedili collocandus, & à posteriori parte minister caput contineat. Tum diligenter expensâ fracturâ, illiusque positione ac situ probè cognitis, spatulam mollioribus linamentis cinctam Chirurgus accipiat & in narium aperturam intromittat, cujus ope variaz partes læsæ reducuntur, & quidquid desedit excitatur & in sedem suam reponitur. Quod quidem gradatim conficitur applicatis extrinsecùs duobus digitis, præsertim pollice, ne nimium attollatur os dejectum, nimiaque sit vis impulsione & progressus instrumenti. Si utrinque ossa narium diffracta sunt, tum ab alterâ quoque parte eodem prorsus modo agendum est. Illa tamen reductio in omnibus fracturis Nasi haud ita necessaria est. Fit enim interdum ut partes fractæ nullatenus è sede suâ dimoveantur, nullâque indigeant restitutione: adeoque in isto casu, spleniâ medicamine vulnerario imbuta & ope fundæ contenta supra partem ægram applicare satis est, deinceps venæ sectionibus ritè institutis, diætâ & quiete prudenter observatis procul arceantur accidentia.

X.

QUOTIESCUNQUE aliqua substantiæ pars exempta fuit, ut inter depræliantium certamina casu evenit, ossium fragmenta singula in suas sedes, quantum fieri poterit digitis erunt compellenda, nec vulsellâ extrahentur nisi undique resoluta cum cæteris haud facilè glutinari queant. Nec tubuli nec turundæ

in nares ægrotantis immittantur ob irritationem & spirandi difficultatem, nullo enim modo ossa semel restituta in sedes suas turundæ aut obturamenta fulciunt ac stabiliunt: immo prorsus lædunt nedum auxiliuntur. Adeoque in isto casu quemadmodum in cæteris, simplicior curandi methodus molestiori præferatur. At si fractura simplex fuerit, si composita, si in vulnus res desierit si non, ceu demum duris ictibus æger percussus fuerit, tunc multoties sanguis ei detrahatur, cibo interdicator, crebro vulneraria adhibeantur, certa que victus ratio præscribatur, cum præsertim fracturam aut vulnus comitantur aut subeunt acriores capitis dolores, sanguis plenis è naribus prorumpit, & gravis sopor imminentis mali pessimus interpret ægrum invadit & urget.

F I N I S.

